



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Quæstio XLVII. In Tit. XLVII. De Purificatione Postpartum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

n. 63. & alii. Ad extremum nota, festo Natalis Domini plura olim fuisse annexa prater eum carnis, de quo diximus, ut

vi. ri potest apud Gonzalez indist. c. fin. h. t. n. 3. ut est celebratio trium Missarum computus annorum deinceps, &c.

QUÆSTIO XLVII.

IN TIT. XLVII. DE PURIFICATIONE POSTPARTUM.

3660 **H**ic titulus constat c. *Unico*, in quo habetur quæstio, Innocentio III. ab Armachano Episcopo proposita, *per quantum tempus mulieres post partum ab ingressu templi abstinere debeant?* cum secundum legem Mosaicam certi dies deputati fuerint, quibus ingredi templum non poterant; cui respondit Pontifex: *quod, postquam umbra legis evanuit, & illuxit veritas Evangelii: si mulieres, post prolem emissam, acclura gratias, Ecclesiam intrare voluerint, nulla proinde peccati mole gravantur, nec Ecclesiarum est eis aditus denegandus: ne pena illis converti videatur in culpam. Si tamen ex veneratione voluerint aliquandiu abstinere, devotionem earum non credimus improbandam.*

3661 Potissimum, quod hic not. est, in antiqua lege fuisse quædam præcepta *meritæ ceremonialia*, quædam *judicialia* & ex illis alia, quæ principaliter ordinata erant ad præfigurandum Christi Adventum, & mysteria circa illum, *de futuro*, seu tanquam *rei nondum factæ, sed futuræ*; alia verò solum ad aliquam devotionem, ritum, ac ornatum sacrificiorum, qualia sunt, quæ pertinebant ad vestimenta Sacerdotum, altaria, vasa &c.

Not. 2. præcepta tam *ceremonialia*,

quàm *judicialia* legis veteris, jam esse *evacuata*, hoc est non amplius obligare in vi, quâ pollebant, ante legem gratia per Christum; quædam tamen ex illis esse *mortifera*, hoc est citra peccatum nunc observari non posse, cum contineant opposita sacræ fidei, *quod Christus nondum venerit*, cujus contrarium Christianâ fide certum est; reliqua verò, posse observari, non quòd ipsa ligent in vi legis antiquæ (sic enim *mortua* sunt, ut diximus) non tamen esse *mortifera*, hoc est, posse à Fidelibus observari citra peccatum, ut est Purificatio post partum, oblationes decimarum, &c.

Not. 3. Per *legem veterem* intelligi, 3662 legem scriptam, olim latam à DEO per Moysen; continebatur autem præcepta triplicis generis nempe *ceremonialia*, quæ erant de rebus sacræ ad divinum cultum pertinentibus; *Judicialia*, quæ erant de rebus civilibus ad rectam populi administrationem spectantibus; *Moralia*, quæ erant ad singulorum mores, juxta rationis ductum componendos. Unde, cum dicitur, *evacuata esse legem veterem, & mortua ejus præcepta*, intelligitur de primis duobus, non autem *moralibus*, in quantum continent naturæ legem, seu præcepta naturalia.

